PETRUS LOMBARDUS. BANDINUS. INNOCENTIUS III. PAPA
Österreich, 12. Jh. Seite 134v
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26207
Copyright: Admont, Benediktinerstift



& superbia parit peccauerit & peccatum elationis in quo prodispari ambitione ut dictum est. alter alto plus uel minus peccauit.

Oppo. ysid. Obicitur etiam quia cum tribus motibus peccet. ut ysidorus ait. ignorantia. scilicet infirmitate. industria. grauiusque sit peccare industria quam ignorantia. uidetur adam plus peccasse eo quod scienter peccauit. Nec. ii. seductus fuit. mulier autem fuit seducta ut dictum est. ut per ignorantiam excusanda uideatur.

Solo. Ad quod dicendum est. quia ignorantia eua excusari non potuit. quia scire potuit. et noluit. Erat enim scientia et ratione predita. presertim cum sciret se mandatum contra diaboli suasionem accepisse. Ipsa. ii. dicit. Precepit nobis deus. etc. Eis autem auferetur excusatio ignorantie

Aug. ut aug. ait. qui mandata dei nouerit.

De triplici ignorantia.

Denique ignorantia alia est affectata. ut eorum qui scire possunt. et nolunt in quibus est ipsa peccatum. Alia est ingrata ut eorum qui scire uolunt. et non possunt. in quibus est pena peccati. Alia est simplex ut eorum qui simpliciter nesciunt in quibus est etiam peccatum. Unde aug. Aliud est nescisse aliud est scire noluisse. quia in eis qui intelligere nolunt. ipsa ignorantia peccatum pena est. In eis uero qui non potuerunt pena peccati. Ignorantia uero eorum qui tantum simpliciter nesciunt. nullum sic excusat. ut eterno igne non ardeat. sed fortasse ut minus ardeat. Est autem affectata uincibilis. ingrata inuincibilis. Simplex uero est uincibilis in penam. inuincibilis autem a maiori pena.

Quare non fecit deus hominem meliorem ut querit homines.

Hic querit aliquis cur fecerit deus hominem talem qui seduci possit. in quo nouit ille magnificentius cum homine actum esse. Sicut ii. factus homo in natura habuit posse. & in potestate uelle non consentire suadenti uiuante deo. & est gloriosius non consentire. quam temptari non posse. Queritur etiam cur creauit deus quos futuros malos sciebat. Ideo scilicet quicquid boni de malis eorum esset facturus preuidit. Sciebat. ii. eos profuturos bonis. quare non frustra eos creauit. Queritur etiam cur non fecit talem deus hominem qui non peccaret. Vel si peccaret cur non in meliorem statum eum reparauit. cum posset ad hec & huiusmodi. quae curiosus querit et in ers sic responde. Possis reuera. Sed cur non fecit. quia noluit. cur noluit. ipse nouit. non tu quaeras pro eo quod scriptum est. Non plus sapere quam oportet sapere. Nec. ii. uas figulo dicit. cur me fecisti sic.